

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchholzero, &c. amico & fratri suo charissimo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

pietatis uniuersæ contemnens, facile occasione rapi-  
 pit detrahendi, & blasphemandi etiam summos ar-  
 ticulos fidei: præsertim apud eos, apud quos sunt  
 Papistæ inflammantes & exacerbantes, & ex scin-  
 tilla incendium constantes. Quare uos propter  
 Christū oro, in quo uiuimus & gubernamur, in cu-  
 ius spiritu unum sumus, ut uelitis gratiā Dei agno-  
 scere & pōdere, qua nos cōcordes fecit, et hacte-  
 nus seruauit in summa pietate, et in præcipuis arti-  
 culis: & sicut Paulus ait, nulli offensionē dare in re-  
 bus istis externis & indifferentibus, imō (ut nunc  
 sunt Papistæ furiosi) noxijs & periculosis sermo-  
 nib. apud infirmos, perniciosi aut apud induratos.  
 Sic erit Christus meus, & regnat inter omnes, cu-  
 ius mortem & sanguinē debemus meritō preser-  
 re nostris cogitationibus, seu potius diaboli tenta-  
 tionibus. Sed sicut cœpit in uobis opus suū: ita ser-  
 uet et perficiat usq; in illū diem spei nostræ. Amen.

D. Martinus Lutherus.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchhol-  
 zero, &c. amico & fratri suo cha-  
 rissimo,

S. D. Reuerende uir, & amice charissime: O-  
 ro quotidie filium Dei, Dominum nostrum Iesum  
 Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum,  
 ueterem illum ciuem Samariæ, quem uidit in scala  
 stantem

stantem uiator Jacob, ut ipse uulnera nostra sanet,  
 et non sinat fieri maiores distractiones Ecclesiarū.  
 Multas iniurias etiam propterea disimulo, cum mi-  
 hi non desint arma. Vos etiam adhortor, ut inchy-  
 tum Principem Electorem Marchionem oretis, ne  
 sinat edi scripta, quæ sint classica nouarum dissen-  
 sionum. Si nos ter cursus est ex Deo, non uincēt ca-  
 uillationes fuitiles, ut multæ nobis obiectæ sunt mul-  
 tis annis. Deo iuuante redibo Vuitebergā ante Ca-  
 lendas Ianuarij. Sed de mittendis filijs expectate  
 meas literas. De Repub. nihil noui scio, nisi quòd  
 scribitur ex Noriberga, decem nauas in mari Tyr-  
 rheno à Gallo captas esse: & magnam esse poten-  
 tiam classis Turcicæ in mari, & periculum esse Ita-  
 liæ et Hispaniæ. Impendet finis regnorum. Oremus  
 Deum, ut seruet Ecclesiæ reliquias. Bene ualete, die  
 24 Decembris. Torgæ, Anno 1553.

Salutem opto reuerēter uiro optimo D. Doctro-  
 ri Hieronymo, & toti eius ecclesiæ domesticæ, &  
 D. Mathiæ, & uobis omnibus. Iterum ualete.

Clarissimo uiro, D. Christophoro Pan-  
 nonio, amico suo charissimo,

S. D.

Cor datum uenerandum senem tibi commenda-  
 ueram, sed Deus iter eius ad uos impediuit. qui si  
 istuc uenisset, & uidisset exortum ex causa non ma-  
 t

t 2 xima